



# PAVLVS PP. V.



D PERPETVAM REI MEMORIAM. Piorum hominum Confraternitates, præsertim Deiparæ Virginis nomine, ac patrocinio conspicuas, præcipimus spiritualium gratiarum muneribus libenter insignimus, vt gratijs huiusmodi Christifideles in dies magis ad eiusdem Virginis cultum, & venerationem inuitentur. Proinde volentes Nos Confraternitates canonicè institutas sub inuocatione eiusdem Beatæ Virginis Rosarij in quacunq; Mundi parte existentes, ac dilectos filios illius Confratres, & Consorores, quæ sicut accepimus Dominica prima mensis cuiuslibet Christi fidelium frequentia celebrem, ac solemnem processionem ex eorum Ecclesijs, Capellis, vel Oratorijs, ad Virginis eiusdem commemorationem piè peragere solent speciali aliquo munere decorare. Supplicationibus quoq; dilecti filij Marci de Martenisio totius Ordinis S. Dominici Procuratoris generalis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; omnibus Confratribus, & Consororibus dictarum Confraternitatum verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui prædictæ Processioni ipsa prima Dominica cuiuslibet mensis in qualibet ex ipsis Ecclesijs, Capellis, vel Oratorijs peragendæ interfuerint, & pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quòd si aliàs dictis Confratribus, & Consororibus præmissa peragentibus aliqua alia Indulgentia perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum duratura per Nos concessa fuerit, illæ nullæ sint. Dat. Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die XV. Aprilis M. D C. VIII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Scipio Cobellutius.

*ROMAE, Ex Typographia Reuerendæ Cam. Apostolicæ. 1608.*